

J. Wang, version latine pré-agrégatifs, 2021-2022  
À rendre pour le lundi 27 septembre 2021 (casier au DSA)

## Version latine n°1 : Alexandre et les parentes de Darius

333 av. J.-C. : après avoir vaincu Darius III à la bataille d’Issos, Alexandre de Macédoine retient captives la mère, l’épouse et les filles du roi de Perse.

Longueur LC : intégralité. Longueur LM : jusqu’aux crochets droits.

Iamque iustis defunctorum corporibus solutis praemittit<sup>1</sup> ad captiuas, qui nuntiarent ipsum uenire, inhibitaque comitantium turba tabernaculum cum Hephaestione intrat. Is longe omnium amicorum carissimus erat regi, cum ipso pariter eductus, secretorum omnium arbiter ; libertatis quoque in admonendo eo non aliis ius maius habebat, quod tamen ita usurpabat ut magis a rege permissum quam uindicatum ab eo uideretur : et sicut aetate par erat regi, ita corporis habitu praestabat. Ergo reginae illum esse regem ratae suo more ueneratae sunt. Inde ex captiuis spadonibus quis Alexander esset monstrantibus, Sisigambis<sup>2</sup> aduoluta est pedibus eius ignorationem numquam antea uisi regis excusans ; quam manu adleuans rex : « Non errasti », inquit, « mater : nam et hic Alexander est ».

Evidem hac continentia animi si ad ultimum uitae perseuerare potuisset, feliciorem fuisse crederem, quam uisus est esse, cum Liberi patris imitaretur triumphum ab Hellesponto usque ad Oceanum omnes gentes uictoria emensus. Sic uicisset profecto superbiam atque iram, mala inuicta, sic abstinuisset inter epulas caedibus amicorum<sup>3</sup>, egregiosque bello uiros et tot gentium secum domitores indicta causa ueritus esset occidere. Sed nondum fortuna se animo eius superfuderat : itaque orientem tam moderate et prudenter tulit, ad ultimum magnitudinem eius non cepit. Tunc quidem ita se gessit, ut omnes ante eum reges et continentia et clementia uincerentur. [Virgines reginas excellentis formae tam sancte habuit, quam si eodem quo ipse parente genitae forent ; coniugem eiusdem<sup>4</sup>, quam nulla aetatis sua pulchritudine corporis uicit, adeo ipse non uiolauit, ut summam adhibuerit curam, ne quis captiuo corpori inluderet : omnem cultum redi feminis iussit, nec quicquam ex pristinae fortunae magnificentia captiuis praeter fiduciam defuit. Itaque Sisigambis : « Rex », inquit, « mereris ut ea precemur tibi, quae Dareo nostro quondam precatae sumus ; et, ut uideo, dignus es, qui tantum regem non felicitate solum, sed etiam aequitate superaueris. »]

Quinte-Curce

---

<sup>1</sup> Le sujet est Alexandre.

<sup>2</sup> La mère de Darius.

<sup>3</sup> Allusion au meurtre de Cleitos, ami proche d’Alexandre.

<sup>4</sup> Renvoie à Darius.